

et surrexerunt ludere (Exod. xxxii, 6; I Cor. x, 7).

8. Rursum, fratres, post conversionem nostram muniamus thalamum cordis nostri, ne luxuria rediens introitum inveniat : quæ pestilentia rediens est pejor quam ante fuerat. Nunquam enim sola redit; sed sicut Dominus ait in Evangelio : *Assumit septem spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi : et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus* (Matth. xii, 45). Hæc est pestis illa quæ corpus Christi dimembrat, quæ de membris Christi facit membra diaboli. Nam qui adhæret alicui personæ causa libidinis explendæ, unum corpus fit cum illa persona, et fit membrum diaboli : ejus et illa membrum est per conjunctionem malorum operum. Hæc est illa pestis quæ ignem infernalem in corpus humanum accendit, ut vegetum sit et robustum ad libidinem explendam : et quæ igni illi inextinguibili materiam semper apponit, et vires ministrat, ut de suo semper habeat unde sine fine ardeat. De his duobus ignibus luxuriæ et gehennæ habemus auctoritatem Scripturæ. De igne luxuriæ ait : *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquenté* (Osee vii, 4). De igne gehennæ ait : *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, hoc est, iudicii, ut intus ardeant (sicut clibanus accensus) in conscientia. Dominus in ira sua conturbabit eos* (Psal. xx, 10), dicens : *Discedite a me, operarii iniquitatis* (Luc. xiii, 27; Psal. vi, 9; Matth. vii, 23). Et devorabit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt propter luxuriæ foeda opera. Sit ergo, fratres, summa cura et summum studium his qui in talibus sunt, de talibus evadere et fugere.

9. Nobis vero qui per gratiam Dei evasimus, et veterem exuimus hominem, qui sumus Sion, sit summum studium thalamum nostrum munire et adornare, et Christum regem suscipere, sicut hæc scriptura præcipit quam recitavimus : « Adorna thalamum tuum, Sion. » Quid est adornare thalamum tuum? Virtutes congregare, quibus et pavementum et parietes quasi cortinis, et floribus tota domus adornetur. Primus ornatus thalami nostri, qui sumus Sion, sit timor, qui est initium sapientiæ, id est, primus gradus per quem ascenditur ad sapientiam. De quo timore ait Scriptura : *Beatus homo qui semper pavidus* (Prov. xxviii, 14). Et Psalmista ait : *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore* (Psal. ii, 11) : ut timor auferat securitatem noxiam, et exultatio mortiferam tristitiam. Hic timor generat humilitatem, quæ est pretiosissimus ornatus thalami Sion, quæ magis placuit Christo cum in thalamum virgineum ingrederetur, dicente beata Maria : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (Luc. i, 48). Hæc, inquam, humilitas est ornatus Sion, id est pauperum Christi, de quibus ipse dicit : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (Matth. v, 3; Luc. vi, 20). Ecce quomodo timor Domini primus gradus ascensionis, et primus ornatus thalami Sion, alios

etiam ornatus generat, humilitatem scilicet, et voluntariam paupertatem. Adorna ergo thalamum tuum, Sion, timore Domini.

10. Secundus ornatus thalami Sion, et secundus gradus ad sapientiam, est pietas, de qua dicit Scriptura : *Miserere animæ tuæ placens Deo* (Eccli. xxx, 24); et alibi : *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum?* (Isa. lxxvi, 2.) Hæc miseretur in se peccantibus, fraterna onera portat; magis eligit quælibet temporalia bona perdere, quam cum fratre lite contendere. Quæ profecto pietas aliud nihil est nisi Deum colere, et per cultum Dei Deo placere. Hæc in nobis generat mansuetudinem, optimum ornatum thalami Sion, quæ filios Dei nos facit, dicente Domino : *Beati mites, quoniam filii Dei vocabuntur* (Matth. v, 4; Psal. xxxvi, 11). Ecce quomodo pietas secundus ornatus thalami Sion et secundus gradus ascensionis, alium ornatum de se generat mansuetudinem, quæ filios Dei efficit. Adorna igitur thalamum tuum, Sion, pietate.

11. Tertius ornatus thalami Sion et tertius gradus ascensionis **959** est scientia, quæ homini sui cognitionem præbet, ut scilicet homo, neque minus neque plus quam debet de se præsumat. Quorum alterum, scilicet de se nimium præsumere, in mala facit præcipitem; alterum, scilicet se non cognoscere, facit ad quælibet bona torpentem. Ad hanc scientiam Spiritus sanctus invitat Ecclesiam in Canticis : *Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, abi post vestigia gregum tuorum, scilicet hæreticorum : et pasce hædos tuos* (Cantic. i, 7), hoc est, carnales concupiscentias. Hæc scientia præbet nobis fiduciam vincendi omnes tentationes per veram fidem, dicente Domino in Evangelio : *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti* (Marc. ix, 22), per Dei scilicet gratiam, et liberam arbitrium. Videmus jam quomodo scientia tertius ornatus thalami Sion, et tertius gradus ascensionis, alium ornatum in nobis generat, religiosum videlicet luctum, qui consolationem a Domino in futuro meretur. Hæc scientia parat in nobis dolorem et luctum peregrinationis, ut videndo mala exsili quæ patimur, cum luctu desideremus patriam a qua peregrinamur, audiamusque a Domino nobis dici : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (Matth. v, 6; Isa. lxi, 2).

12. Quartus ornatus thalami Sion, est fortitudo, quæ convenit laborantibus pro vris bonis acquirendis. Hæc est quæ munit thalamum Sion, ut non extollatur prosperis, non frangatur adversis quæ linguam increpantem et blandientem his verbis confundit, dicens : *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa* (Psal. cxix, 2). Hæc est illa quæ semper de die in diem robustior, esuriam et sitim justitiæ in thalamo Sion accendit, facitque eam audire a Domino : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Adorna igitur thalamum tuum, Sion, fortitudinem. Quintus ornatus thalami Sion est consilium, quo homo infirmitates suas requirit, suum posse et suum

non posse investigat : et ex sua infirmitate alios considerat, aliis parcat et miseretur, sicut et vult Deum sibi misereri; aliis dimittit debita, sicut sibi vult dimitti a Deo : mereturque audire a Domino : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Matth. v, 4, 7). Adorna igitur thalamum tuum, Sion, consilio. Sextus ornatus thalami Sion, est intellectus; qui mentem hominis super hæc infirma rapit, omnesque corporeas substantias intellectuali intuitu transiens, non corporeis substantiis figitur, volensque ultra progredi, et propius accedere audit a Domino : *Ne appropinques huic* (Exod. iii, 5) : *non enim videbit me homo, et vivet* (Exod. xxxiii, 20). Hic intellectus convenit iis qui a Deo purgatum oculum habent, de quibus dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. v, 8). Adorna igitur thalamum tuum, Sion, intellectu.

13. Septimus ornatus thalami Sion, est sapientia, quæ convenit iis qui intellectualibus oculis æterna contemplantur; quorum conversatio in cœlis est, qui cupiunt dissolvi, et esse cum Christo : in quorum persona dicebat Apostolus : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*. Quasi diceret : Ut Christum magnificem, Christo vivere volo tantum, et Christus est præmium mortis. Et post pauca : *Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo melius : manere autem in carne, necessarium propter vos* (Philipp. i, 21, 23, 24). Ecce quid facit vera sapientia, quæ omnes rebelles motus corporis ita subjugat, ut nullam ultra pugnam in carne sentiat : pro infirmis fratribus (ut eis Christum nuntiet) exsilium libenter patitur; probra non audit, damna non sentit, auferenti tunicam dimittit et pallium, perecutienti unam maxillam præbet et alteram, auditque a Domino : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (Matth. v, 9). Hi ornatus thalami Sion : istis nos adornemus qui sumus Sion, et regem Christum suscipiamus, quem Virgo concepit, Virgo peperit. Virgo post partum quadragesima, hoc est hodierna die, in templo Dei præsentavit.

14. In lege namque scriptum erat, ut mulier quæ suscepto semine peperisset masculum, quadragesimo die purgata templum cum filio intraret, defrens hostias secum pro peccato, agnum anniculum immaculatum. Si autem non haberet agnum, par turturum, sive duos pullos columbæ offerret (Levit. xii, 2, 4, 6, 8). Hæc omnia beata Virgo non ex necessitate, sed ex humilitate implevit. Abstiniit ab **960** introitu templi quadragesima diebus, non necesse habens purgari, quæ sine omni delectatione, salvo virginitatis sigillo, de Spiritu sancto concepit. Obtulit hostiam non pro peccato, sicut aliæ mulieres, sed pro humilitate : ostendens etiam in hoc quod Filius Dei Jesus Christus non solvere venerat legem, sed adimplere. Et ecce Simeon grandævus, qui acceperat responsum non visurum se mortem nisi videret Christum Domini, et eum susciperet quem exspectabat, accepit eum in ulnas suas, hoc

est, inter brachia sua amplexatus est; illum qui appendit tribus digitis molem terræ, qui omnia implet, omnia complectitur, inter brachia portat, dicens : *Nunc dimittis, servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace*. Cupio dissolvi, et ejus adventum cum patriarchis et prophetis in inferno exspectare, qui inter te et humanum genus facturus est pacem. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, Filium tuum, quem desideravi, de quo responsum a Spiritu sancto accepi. Lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuæ Israel* (Luc. ii, 29, 30, 32). De quo ait Isaias : *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam* (Isa. ix, 2) : quia, cum plenitudo Gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet (Rom. xi, 25, 26).

15. Audite, fratres, audite quid offert Maria, quid Simeon suscipit : Unigenitum Dei, Deo Patri consubstantialem et cœterum, Verbum in principio. Et, ut utilitatem et consolationem nostram audiamus, illum offert Virgo, quem Deus Abrahæ promisit, dicens : *In semine tuo, hoc est, in Christo benedicentur omnes gentes* (Gen. xxii, 18; xii, 3, et xviii, 18); et quem David promisit, dicens : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (Psal. cxxxii, 11). Hic est quem Virgo offert, patriarcharum gaudium, desiderium prophetarum, Gentium expectatio, Judæorum qui eum receperunt salvatio, ruinæ angelorum reparatio. Talis est quem Virgo offert Deo, imo multo major quam lingua, aut hominum, aut angelorum possit dicere. Et cum sit tantus ac talis, qualem aut quantum ipse se novit, non sufficit. Virgini ipsum solum offerre; sed hostiam, quam lex præceperat, pro eo obtulit : ob humilitatis scilicet exemplum, ut nos doceret quomodo et nos eum debeamus offerre. Duos turtures, aut duos pullos columbæ pro eo obtulit. Columba, fratres, simplex est animal, felle caret, rostro non lædit, in cavernis petrarum nidificat, alienos pullos nutrit, juxta fluentia manet, ut visa umbra accipitris fugiat, meliora grana eligit, gemitum pro cantu reddit, gregatim volat, alis se defendit, visum recuperat. Et nos, fratres, cum ante altare steterimus, ut Dei Filium Deo offeramus, cum eo et pro eo par turturum, castitatem corporis et animæ offeramus : et duos pullos columbarum, pro cantu gementes, compunctionem geminam pro desiderio patriæ cœlestis, et de consideratione nostræ miserie habentes. Columba felle caret : et nos ira careamus, quæ peccare nos facit. Rostro non lædamus, sed percussi in unam maxillam, alium præbeamus. In cavernis petrarum nidificemus; in fide plagarum Christi refugium habeamus. Alienos pullos nutriamus; de filiis diaboli facientes verbo prædicationis filios Dei. Juxta flumina maneamus : id est, juxta hunc mortalitatis fluxum sedentes, umbram accipitris, hoc est, peccata quæ sunt umbra diaboli, malorum ruinas considerantes, ab ejus unguis fugiamus. Meliora grana eligamus : id est, meliores sententias in Scripturis sanctis. Gregatim volemus :

unum consensum in bono in congregatione sub pastore habentes. Alis Novi et Veteris Testamenti contra inimicos Dei nos defendamus; vel duobus præceptis charitatis, Dei videlicet amore et proximi. Visum recuperemus, de bono actionis ad bonum semper intendentes contemplationis.

16. Fratres charissimi, tales oportet non esse cum corpus Christi consecramus, cum consecratum manducantes sacrificamus, cum vobis idem corpus in salutem corporis et animæ porrigimus. Tales etiam vos oportet esse, cum sacrum sacramentum de manibus nostris accipitis, scientes, quod qui corpus Christi indigne accipit, et sanguinem ejus indigne bibit, iudicium sibi manducat et bibit (1 Cor. xi, 29). Verum, quia raro invenitur talis qui in se hæc omnia habeat, diligat illum qui bonum habet, quod in se non habet: **961** et in illo habeat, quod in se non videt. Neque enim credere debemus quod soli sacerdoti supradictæ virtutes sint necessariae, quasi solus consecret et sacrificet corpus Christi. Non solus sacrificat, non solus consecrat, sed totus conventus fidelium qui astat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat (4). Nec solus ligni faber facit domum, sed alius virgas, alius ligna, alius trabes, etc., comportat. Debent itaque astantes habere de suo, sicut et sacerdos, fidem firmam, orationem puram, devotionem piam. Sciendumque quod sine firma fide nemo astantium esse debet. Cæteras vero virtutes, quas supra diximus, etsi omnes non habent, diligant illum qui habet quod in se non inveniunt, et in illo habeant quod in se nondum vident. Sicut Petrus in Joanne virginitatis habet meritum: sic Joannes in Petro martyrii habet præmium.

17. Sciendum quoque, quod corpori Christi, quem Maria hodie præsentavit in templo, quem Simeon in ulnis suis suscepit, tria debemus: dignitatem, reverentiam et fructum. Dignitatem, ut cum Dei Filium, Deum de Deo, omnipotentem, creatorem omnium, iudicem vivorum et mortuorum credamus. Dignitatem, ut credamus nos statim postquam de corpore exierimus, ab eo, sicut a iudice, percepturos sicut gessimus, sive bonum, sive malum. Ille namque quem Maria in templo præsentavit, quem Simeon suscepit, quem in manibus consecrantes ante Deum levamus, benedicimus, manducamus, vobis porrigimus manducandum; ille familiaris noster, iudex erit noster. Caveamus ergo ab eo separari per iudicium post mortem, cui ita sumus familiares in vita. Dicamus itaque ei in corde, cum eum tra-

(4) Solum sacerdotem esse proprium et sufficientem ministrum Eucharistiæ consecrandæ de fide est, ut patet ex can. 4 conc. Nic. ubi Patres dum diaconos reprehendunt, quod quibusdam in locis administrent Eucharistiæ presbyteris, idque de cætero fieri prohibent, hanc ejusce decreti reddunt rationem: *Hoc inquit, neque regula neque consuetudo tradidit ut qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt corpus Christi porrigant.* Idem statuit conc. Lateran. sub Innoc. III, et referatur cap. *Firmiter* extra de sum. Trin. Nam veritate sacramenti explicata, ita subjungit: *Et hoc utique*

ctamus; dicamus cum eum consecramus: Domine, ad te veniemus post mortem, ante tuum tribunal iudicandi astabimus. Qui nobis ita familiaris esse dignaris in vita, quod a nobis tractaris, consecraris, manducaris, noli nobis alienus esse in morte, sed parce nobis in die mala. Confundantur dæmones qui nos tuæ persequuntur, destrue fortitudinem illorum in virtute tua; quia non est qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus et familiaris noster. Hæc est dignitas quam ei debemus.

18. Debemus ei et reverentiam, investigare scilicet nosmetipsos: et si invenimus cor pollutum foedis cogitationibus aut mala voluntate, ab ejus contactu, ut ab igne, et nos et alios arceamus. Ignis enim consumens est (Deut. iv, 24.), ad quem indignus non debet accedere, ne interius consumatur, et in reprobum sensum tradatur. Excet ergo extra castra, sicut Moyses præcepit, qui nocturno pollutus est somno (Deut. xxiii, 10), hoc est, qui per negligentiam istius obscuræ vitæ (quæ tota ut somnus pertransit) pervenit usque ad pollutas cogitationes. Excet extra castra, hoc est, dum in illo statu est, iudicet se indignum societate fidelium communicantium hoc sacro corpore, lavetque vestimenta sua per sanctam confessionem; et post solis occasum, hoc est, post tentationis calorem et ardorem jam mortuum, lætus redeat, et cum aliis fidelibus communicet. Hæc est reverentia quam debemus corpori Christi, quem virgo Maria hodierna die in templo præsentavit, quem Simeon lætus inter brachia suscepit.

19. Debemus etiam fructum scire, intelligere scilicet quem fructum accipimus, si eum digne comedimus. Audite, fratres, non me, sed Apostolum dicentem: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Calix, id est communicatio calicis, facit nos habere quandam communionem cum Christo. *Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis est Domini?* (1 Cor. x, 16.) Ac si dicat: Panis, quem frangimus, facit nos unum corpus sub Christo capite: quoniam, sicut unus panis ex multis granis conficitur, qui postea in corpus Christi et per fidem, et per sancta verba, quæ Christus suos docuit, convertitur: sic diversi participantes hoc corpore in unitate fidei, spei et charitatis, unum corpus cum Christo sunt, at Christum statim post mortem venturi, et cum Christo sicut cum capite suo sine fine regnaturi: quem Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo in templo hodierna sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiæ, quas concessit apostolis eorumque successoribus Jesus Christus. Ita fere Isambertus, in 3 q. 82, art. 1. Quamvis dici potest, astantes etiam suo modo sacrificium offerre et conficere per sacerdotem et cum sacerdote qui populi mediator et minister est. Unde in canone missæ olim ita legebatur: *Et omnium circumstantium, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, quibus verbis hæc inserta sunt: Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt,* etc.

die præsentavit, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

962 SERMO VI.

De perficienda nostri purificatione, ut Domino sisti possimus.

1. *Postquam impleti sunt dies purificationis, tulerunt Jesum in Jerusalem.* O quam felix est, de quo dici potest: *Impleti sunt dies purificationis ejus:* ut jam nihil aliud ei supersit, nisi ut ferant eum in Jerusalem supernam, et sistant eum Domino (Luc. ii, 22). Talis nimirum erat Simeon ille noster senex, tam desiderabilis quam plenus desideriis, cujus cum jam olim, ut arbitrator, essent impleti dies purificationis, hodie impleti sunt etiam dies expectationis: ut jam, secundum verbum Domini, nihil aliud ei restaret, postquam vidisset Christum Domini, Christum pacem Dei et hominum, nisi ut dimitteretur in pace, et dormiret in pace in idipsum; hoc est, ut ferretur eum ad contemplandam pacem quæ exsuperat omnem sensum. O Simeon vir desideriorum, impletum est in bonis desiderium tuum. O beate senex, renovata est ut aquilæ juvenus tua. Introisti jam ad altare Dei illud supernum, æternum, totum aureum, ad Deum qui lætificat juventutem tuam æterna visione Christi sui. Ad altare illud invisibile jam ipse præsentatus es Patri; cui ad altare hoc visibile Filium hodie præsentasti. Ibi Filium ipsum, quem hodie tuo sinu gestasti, æterno jam et indissolubili tibi conseris amplexu.

2. Repletum est igitur in bonis beati senis desiderium, cujus tota erat expectatio et desiderium, Expectatio gentium et Desideratus earum. Renovata est ut aquilæ juvenus ejus, quoniam in senectute bona impleti sunt dies purificationis ejus. Alioquin nequaquam illius capax novitatis esse posset, nisi sedulo vetustatem his diebus expurgasset. Fratres, expurgate vetus fermentum, dum tempus habetis ad expurgandum; ut cum impleti fuerint dies vestræ purificationis, inveniamini et vos capaces illius gaudii, quo plena est jam anima Simeonis. Et quidem dies qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus, nolimus, implemus: sed vae nobis si dies implentur, et purgatio minime impletur: ut postea necesse sit illo nos igne repurgari, quo nihil poenalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita excogitari potest. Sed quis ille tam perfectus, tam sanctus, qui cum hinc exierit, nihil illi debeat igni: qui sic ad purum omnem in se seoriam excoxerit peccati, ut gloriari possit castum se habere cor, ut dicere possit: *Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* (Prov. xx, 9.) Pauci quidem sunt electi; sed inter illos paucos paucissimi sunt, ut arbitrator, ita perfecti, ut purificationem illam impleverint, de qua Sapiens dicit: *De negligentia purga te cum*

(5) Titus imp., apud Sueton. Iisdem pene verbis queritur Seneca, epist. 4.

paucis (Eccli. vii, 34). Omnino, si de negligentia nos purgaremus, de paucis essemus. Nunc autem quoniam non modo minima, sed et maxima negligimus, longe a paucis de terra divisi sumus, et de nobis dicit ille, qui paucitatem sanctorum multitudini præfert negligentium: *Inter multos erant mecum* (Psal. lvi, 19).

3. Et quid hodie tam proprium simul et commune his quos religionis fovet umbra, sicut negligentia? et, ut de meipso loquar, quoties derident hostes Sabbata mea? quoties dormitat anima mea præ tædio, diemque fere totum, ac si tempus revocabile esset, inertia consumo? Et utinam sic dormitaret anima mea, ut apertis et vigilantibus oculis, ipse mihi misero non fingerem somnia vana et illusoria! At nunc in perversum mutata sententia, ego vigilo, et cor meum dormit, somnoque tam gravi, ut vix aliquando valeat expurgisci ad tonitruum supernæ illius increpationis: *Usquequo, piger, dormis? quando consurges e somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias; et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus* (Prov. vi, 8-11; xxiv, 33, 34). Illud sane miserrimum est, quod hodie non putatur jactura, sed lucrum, si dies qui nobis ad purificationem dati sunt, elabantur nobis dormiendo, prætereant et pereant negligendo. Gentilis, aiunt, cum sederet ad mensam, **963** venisset que in mentem nihil strenuum, aut memorabile se egisse die illo; cum gemitu gravi et dolore mensam repulit, exclamans: « O amici, diem perdididi (5) » Nos hodie dicere videmur, diem lucrifeci, si sine opere totus per inertiam possit elabi. Sic nullus fere est qui tempori pretium ponat, qui cogitet apud se quantum valeat ad comparandam æternitatem dies una. Putasne est aliquis in nobis, qui quotidianam dierum suorum a semetipso rationem exigit; qui cujusque diei dispendia vel emolumenta diligenter sibi describat: ut si deprehenderit se hodie negligenter egisse, vindicet in seipsum, ac de cætero cautius agat? Beatus ille servus, quem, cum venerit dies extremus, iuenerit ita facientem.

4. Hoc nempe esset de negligentia cum paucis purgari, si recte et utiliter impleverentur dies purificationis ut aliquando posset accessus ad sancta salubriter obtineri. Alioquin, quandiu manserit quis in sanguine purificationis suæ, sancivit æterna justitia (sicut scriptum est in lege Moysi) ut omne sanctum non tangat, nec ingrediatur sanctuarium, *donec impleantur dies purificationis ejus* (Levit. xii, 4). Viderint ergo qua fronte ingrediantur sanctuarium, qua conscientia non solum tangant sancta, sed etiam tractent et sumant Sanctum sanctorum; qui scilicet nondum liberati de sanguinibus, nullum tamen suæ purificationis studium gerunt. Annon audiunt protestantem et dicentem: *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos; manus enim vestre sanguine plene sunt?* (Isai. i, 15.) Quid enim, si mundus sum a sanguine alieno, et conculcari me